



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

10. Lotharius Lotharingiae Rex primus, Lotharij Imp. filius, an. 860. dat monasterio S. Dionysij in Francia & dioecesi Parisiensi, mansum vnum ex fisco Valentianensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## C A P V T X.

*Lotharius Lotharingæ Rex primus, Lotharij Imp. filius, anno 860.  
dat monasterio S. Dionysij in Francia, & diœcesi Parisiensi,  
mansum vnum ex fisco Valentianensi.*

**I**N nomine omnipotentis Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.  
HLOTHARIUS diuina præueniente clementia Rex.

Nouimus religione Christianitatis imbuti, omnia quæ ex facultatibus nostris, ob honorem & reuerentiam gloriosorum martyrum, sacris conferimus locis, ad sempiternam pertinere beatitudinem; eorumque pijs interuentionibus nos in præsentis sæculo suffragari, & à proprijs absoluti delictis, minimè dubitamus.

Comperiat itaque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium ac nostrorum, præsentium videlicet futurorumque indultria, quia Werimondus, fidelis excellentiæ nostræ ministerialis, nec non & Deodatus, monachus & Archicustos ecclesiæ S. Dionysij, vbi idem inclytus martyr Christi corpore veneratur, ac Hludouicus, dilectus consanguineus noster, Abba & rector esse videtur, implorauerunt sublimitatem nostram:

Quatenus eidem ecclesiæ ac B. Dionysio, aliquantulum ex rebus nostræ proprietatis, ad luminaria ipsius procuranda, more solito, per præceptum magnitudinis nostræ roboratum, concederemus in proprium.

Nos igitur saluberrimis implorationibus illorum assensum culminis nostri præbentes, hos regiæ dignitatis imperauimus apices fieri, per quos sancto & gloriosissimo Dionysio martyri, seu venerabili loco, quo idem conditus habetur, in pago nuncupante Fanomartinsæ, iuper fluuium qui vocatur Scaltus, mansum vnum ex fisco nostro Valentianæ, quem Valentinus nomine Fiscealinus ad deseruiendum possidet, ipsumque cum vxore sua, & infantibus illorum, ob amorem omnipotentis Dei ac beatissimi Dionysij reuerentiam, seu erolumentum animæ nostræ, ad proprium largimur, iure perpetuali inibi mansurum, ac de iure nostro & dominatione in potestatem ipsius loci tradimus atque transfundimus:

Quatenus per hoc eminentiæ nostræ præceptum, præscriptas res  
K k &

& mancipia iam fata ecclesia B. Dionysij perpetuis teneat atque possideat temporibus; faciatque iure proprietario quidquid elegerit vel voluerit deinceps, sine cuiuslibet inquietudine aut repetitione.

Teloneum insuper ex iam dicto manso, cum riuatico suo, concedimus, ut exinde & ex dominio memoratae ecclesiae S. Dionysij, siue Congregationis inibi Deo regulariter famulantis, nullatenus teloneum à quolibet exigatur.

Et ut hæc nostrae largitionis concessionisue auctoritas futuris temporibus inuiolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmuimus, & annuli nostri impressione iussimus assignari.

Signum HLOTHARII gloriosissimi Regis.

Ego ERCAMBOLDVS, Regiæ dignitatis Cancellarius, recognoui & subscripsi.

860. Data VII. Kalendas Februarij, anno, Christo propitio, regni domni Hlotharij gloriosi Regis quinto, Indictione octaua.

ACTUM VALENTIANAS, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

### NOTATIONES.

HLOTHARIVS) seu Lotharius, à quo Lotharingia nomen accepit, Lotharij Imp. post monachi Prumiensis filius, primus Lotharingiæ Rex, ex Theutberga coniuge liberos non sustulit. Ex Waldrada concubina reliquit Hugonem, & Gislam siue Gisela, Godefrido Normannorum Regi nuptam. Obijt an. 869. Placentiæ.

IN PAGO Fanomartinsè seu Fanomartensi, ad Scaldum seu Scaldim fluuium. Fanum Martis, hodie *Famars*, vicus est Hannoniæ, prope Valentianas. Pars urbis Valentianensis, nobis Brabantis cis Scaldim, est in pago Fano-martensi, ac diocesi Cameracensi. Altera pars, nobis trans Scaldim, est in pago Ostrouandensi ac diocesi Atrebatensi, & subest Archidiacono Ostrouandiæ.

VALENTIANÆ) seu Valentinianæ, à Valentiniano Imp. sic dictæ, olim palatium regium (ut ex recitato diplomate liquet) nunc urbs mercatu celebris ad Scaldim, proprios quondam Comites habuit, in his Arnulfum, de quo infra dicemus. Hodie vulgò pars Hannoniæ censetur.

CAPVT